



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio I. Quidditas, amoris concupiscentiæ, & gemis spei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

futurum; cuius ratio generica tria exigit. Primò quid sit amor concupiscentiæ, secundò utrùm ad illum pertineat. Spes Theologica tanquam ad verum genus, tertio qualis actus amoris concupiscentiæ sit Spes, & quomodo à reliquis eius actibus differat.

S E C T I O. I.

Quidditas amoris concupiscentiæ qui est genus Spei.

Actus voluntatis.

Status questionis.

Prima dubitatio.

Secunda.

Tertia.

Assertio.

Ratio à priori.

OMnes actus voluntatis si prosequuntur sint, ad amorem pertinent, si auerſantur spectant ad odium: tamen si enim voluntas modis vndecim prosequatur aut auerſetur, semper tamen amat aut odit, cum amor late sumptus non sit aliud quam motus voluntatis in bonum. Ille verò si propriè dictus sit amor abſtrahit à præſentia, & abſentia, si respicit illud præſens, gaudium est, si abſens est deſiderium, si abſens & arduum, sed poſſibile tamen & futurum vocatur Spes, quæ proinde ad aliquem amorem pertinet. Sed difficultas est de amore illo ad quem pertinet. Cum enim diuidatur amor communiter in amorem beneuolentiæ, & concupiscentiæ ut habetur ex 8. *Ethico-rum* & ex S. Thoma hic *quæſt.* 17. *art.* 8. dubium tamen est, utrùm illæ sint duæ ſpecies eſſentialiter diſtinctæ, an verò illi ſint duo tantum reſpectus eiſdem actus amoris, qui prout reſpicit perſonam, amor ſit beneuolentiæ, prout reſpicit bonum volitum eſt amor concupiscentiæ.

Ratio verò dubitandi primò eſt, quia ſi duo illi amores eſſent inter ſe ſpecie diuerſi, poſſet dari amor aliquis concupiscentiæ, qui non eſſet amor amicitiae, & amor aliquis beneuolentiæ, qui amor non eſſet concupiscentiæ. Hoc autem eſt falſum, nam in omni amore amicitiae volumus aliquid bonum alicui perſonæ, ſed bonum quod volumus amatur amore concupiscentiæ, non amicitiae ut patet, ergo in omni amore beneuolentiæ reperitur amor concupiscentiæ: ſimiliter in omni amore concupiscentiæ reperitur beneuolentiæ, quia volo bonum mihi, vel alteri perſonæ, quod eſt habere beneuolentiam.

Secundò, ibi non ſunt diſtinctæ ſpecies amoris ubi non ſunt obiecta formalia diuerſa, ſed amor beneuolentiæ & concupiscentiæ non habent obiecta formalia diuerſa, nam bonum reſpectuum ſeu conuenientia boni eſt ſæpiſſimè motuum amoris beneuolentiæ, cum deſidero verbi gratia conuerſionem peccatoris, quia illa bonum eius eſt, tunc enim motuum amoris non eſt meritum perſonæ cui bonum amatur, ſed eſt tantum conuenientia boni cum tali perſona, & tamen ille amor eſt beneuolentiæ, proximum enim non amo amore concupiscentiæ, niſi quando illum amo, ut eſt mihi bonus, ergo amor beneuolentiæ tendit in bonum reſpectuum.

Tertiò, ſi motuum amoris concupiscentiæ eſſet conuenientia boni cum ſubiecto cui volo bonum, non poſſem licitè Deum amare amore concupiscentiæ, quia non poſſum Deum ordinare ad me ut finem cum ipſe poſſit ſit finis.

Dicendum tamen eſt rectè diuidi amorem in amorem beneuolentiæ, & concupiscentiæ tanquam in duas ſpecies diſtinctas eſſentialiter. Ita docent ut dixi Philoſophus & S. Thomas, ſed eos ſequuntur communius Theologi, quos tamen deſerunt Suares, Vaſques, Becanus, Lorca.

Ratio tamen eſt quia ubi ſunt obiecta duo formalia omnino vltimè ſpecie diſtincta, ibi etiam amores ſunt ſpecie diſtincti, amor beneuolentiæ, & amor concupiscentiæ habent obiecta formalia vltimè planè diuerſa, quod ſic probo bonitas abſoluta & bonitas

reſpectiua ſunt ſine dubio reſ diſtinctiſſimæ, nam bonitas abſoluta dicitur perfectio & meritum perſonæ, quæ amatur ratione cuius digna eſt bonis quæ illi volumus: bonitas verò reſpectiua eſt conuenientia ipſa boni quod appetimus, cum perſona cui appetimus tale bonum. Vnde argumentor, toties obiectum formale amoris ſpecificè diuerſum eſt quoties diuerſa eſt ratio formalis vltima propter quam volo bonum, nam omnis actus quo volo bonum eſt amor, ſed vltima ratio formalis quæ me mouet ad appetendum alicui perſonæ bonum, aliquando eſt bonitas abſoluta, id eſt perfectio perſonæ, cui volo bonum, quia videlicet digna eſt tali bono: aliquando autem ratio formalis, quæ me mouet ad volendum bonum, non eſt meritum perſonæ, cui illud volo, ſed conuenientia boni cum perſona cui illud volo, nam hoc bonum non volo quia illa perſona meretur, ſed quia hoc eſt illi conueniens. In omni ergo amore id in quo vltimo ſiſtit amor, eſt id quod ſpecificat amorem, non autem id quod ſe habet tantum materialiter: ſed in amore beneuolentiæ, id in quo vltimo ſiſtit amor eſt meritum perſonæ, conuenientia verò & concupiscentia materialiter tantum ſe habet, & in amore concupiscentiæ beneuolentia ſe habet tantum materialiter: ratio autem formalis in qua vltimo ſiſtit amor eſt conuenientia talis boni ergo illi duo amores ſpecie differunt.

Deinde ſi amor amicitiae non eſſet diuerſus ab amore concupiscentiæ, ſed eſſent tantum duo reſpectus eiſdem amoris male dixiſſet Philoſophus amorem alium eſſe beneuolentiæ, alium concupiscentiæ, qui tamen non differant a parte rei, ſequeretur quod amor charitatis amor eſſet concupiscentiæ, & Spes amor amicitiae, ſequeretur quod homo ſe ipſum amaret amore amicitiae, cum tamen ad alterum ſit omnis amicitia. Imò ſi omnis actus quo alicui volo bonum eſt amor beneuolentiæ, ſequitur quod qui dat equo ſuo, vel cani pabulum amat illos amore amicitiae.

Ad primam Reſpondeo ſatis dictum eſſe quod in amore attendendum illud vnum eſt quod mouet vltimò & formaliter, non autem illud quod materialiter tantum ſe habet: fateor nullum eſſe amorem beneuolentiæ, qui non ſit amor concupiscentiæ materialiter, nam ſemper aliquid bonum appeto: ſed nego quod in amore beneuolentiæ reperitur formalis amor concupiscentiæ, quia in amore beneuolentiæ vltima ratio volendi bonum eſt meritum perſonæ dignæ, & in eo ſiſtit voluntas. Idem dico de amore concupiscentiæ in quo meritum non eſt ratio mouens, vnde in eo reperitur materialis amor beneuolentiæ, non formalis.

Ad ſecundam Reſpondeo cum Conink *diſp.* 19. *dubio* 1. *num.* 6. quod alia ratione amamus alios, alia nos ipſos, nunquam enim alios amamus niſi apprehendamus prius in iis bonum aliquid amabile, propter quod eos dignos iudicamus eo bono, quod ipſis deſideramus, conſideramus nimirum ut Dei filios, ut redemptos à Chriſto Ieſu, ut vocatos ad nuptias agni, & ad poſſeſſionem ipſius Dei, ut autem nos ipſos amemus, omnino naturaliter inclinamur, nec eſt neceſſe ut aliquam apprehendamus in nobis ipſis rationem meriti, ob quam ſumus digni bono quod appetimus, ſed naturali quodam impetu ferimur in amorem eorum quæ nobis ſunt conuenientia: Itaque peccatores quoties amamus & bonum aliquid ipſis volumus, ſemper apparet aliqua in ipſis bonitas ob quam iudicamus eos dignos eo bono quod illis volumus, non propter aliquid ſpeciale ipſorum meritum, ſed propter communem rationem naturæ.

Ad

Ex abſt. dis.

Solutio prima diſtinctionis.

Solutio ſecunda.

Solutio
tertiæ. Ad tert. Resp. merito amari Deum à nobis amore concupiscentiæ ut est summum bonum nostrum, quia sic non refertur à nobis Deus ad nos ipsos, tanquam medium ad finem: sed Deum tanquam ultimum finem cuius gratia, id est propter cuius amorem expectantur omnia referimus ad nos tanquam ad finem cui volumus tale bonum, quod vitiosum non est, quia finis (cuius) non amatur ut medium ad finem (cui) sed una cum fine (cui) est vnus finis adequatus.

SECTIO II.

Verum Spes Theologica sit actus amoris concupiscentiæ.

Dixi quid sit amare Deum amore concupiscentiæ, nimirum velle illum nobis, ut summum est bonum nostrum, ad cum ergo amorem pertinebit sine dubio Spes Theologica, si non sit aliud quam desiderium efficax Dei possidendi summi boni nostri, quod tamen plerique Doctoribus non placet, quippe video tripliciter explicari quid sit Spes Theologica.

Prima
sententia. Primò enim Henricus, Durandus, & Bonaventura negant spem esse aliquod desiderium, sed esse solum tendentiam voluntatis in bonum formaliter, ut est arduum & difficile, Spem enim Theologicam non amare, desiderare, timere, sed expectare bonum difficile ut sic, confidendo se illud obtenturum à Deo, duos enim esse actus proprios Spei, expectationem & confidentiam, primum respicere bonum quod speratur, secundum illum à quo speratur.

Secunda. Secundò, paulò aliter spem explicant Vasques, Becanus & alij non pauci, volunt enim Spem esse expectationem bonorum supernaturalium cum Dei auxilio illius enim materiale obiectum esse omnia bona supernaturalia, formale autem esse Deum ut auxiliatorem fidelem & omnipotentem in præstandis promissis.

Tertia. Tertio, Scotus, Caietanus, Suares, Coninck & alij communius, volunt Spem Theologicam non esse aliud quam desiderium quoddam summi boni, & proprium actum amoris concupiscentiæ.

Prima
dubitatio. Ratio verò dubit. primò est, quia sperare non est aliud quam aliquid expectare, sed expectare non est desiderare, multa enim sæpe desideramus quæ nequam speramus. Deinde Spes destruitur per solam desperationem, non autem per odium aut nolitionem beatitudinis: ergo Spes non est desiderium beatitudinis. Denique desperare non est nolle beatitudinem, multa enim desideramus quæ tamen desperamus nos habituros.

Secunda
dubitatio. Secundò, Spei obiectum est bonum arduum, amoris autem obiectum non est bonum arduum, ergo Spes & amor differunt obiectis. Imò possum ex virtute Spei appetere beatitudinem proximi quatenus bonum eius, vel in Dei gloriam, qui non erit amor concupiscentiæ.

Tertia
dubitatio. Tertio, amor concupiscentiæ amor est sui ipsius, qui nec est supernaturalis, neque ullam habet difficultatem, oritur enim ex naturali complacentia quam habet quilibet in se ipsum, ergo Spes Theologica non est amor concupiscentiæ: Imò iste amor manebit in patria ubi tamen manebit Spes.

Conclusio. Dicendum est nihilominus Spem esse verum actum amoris concupiscentiæ Dei summi boni. Et esse desiderium efficax obtinendi bonum illud quod cognoscitur arduum possibile futurum.

Prima
partis
pro-
batio. Primæ partis ratio est, quia si Spes actus non esset amoris concupiscentiæ, sed esset virtus specialis ab illo distincta sequeretur virtutes Theologicas non ef-

se tres duntaxat sed quatuor, nam amor concupiscentiæ virtus est virtus Theologicum cum amet Deum ut summum bonum, qui est amor supernaturalis, sicut gaudium quod in cælo habent beati de sua beatitudine, est supernaturale, pertinetque sine dubio ad amorem concupiscentiæ, timor etiam æternæ pænæ supernaturalis est & ad hunc amorem pertinet. Deinde nulla virtus potest amare aliquod bonum de quo non possit gaudere si sit præsens, & quod non possit desiderare si sit absens, & quod etiam non possit sperare si sit arduum, & iudicetur futurum, nam etiam Charitas sperat bonum aliquod Dei absens & arduum, ergo amor etiam concupiscentiæ sperat eandem beatitudinem quatenus ardua est possibilis, & futura.

Secunda
paris. Secunda pars, quod Spes sit actus ille amoris concupiscentiæ quo desiderat efficax aliquid bonum. Probat, quia omnis actus qui fertur in bonum absens est aliquod desiderium sed Spes, expectatio, confidentia, & quidquid aliud dixeris est actus voluntatis circa bonum absens, non enim est actus intellectus & si est actus voluntatis necessariò est volitio, ergo spes est proprium desiderium boni alicuius siue illud sit beatitudo, siue sit Dei auxilium, semper enim illa bona sunt quæ sperantur: nam sperare, expectare, confidere, semper est velle illa bona tantum addendo iudicium intellectus certum & excludens formidinem, quod Deus illa non negabit, cum fidelis sit in promissis & omnipotens, ergo semper spes est volitio & desiderium, neque aliter potest explicari expectatio illa & confidentia quam per tale desiderium, & iudicium intellectus de quo postea.

Solutio
primæ
dubitatio. Ad primam Resp. quod non quodlibet desiderium est spes, sed desiderium boni quod apprehenditur arduum, possibile, futurum. Igitur expectare, ut dixi, est desiderare illud bonum, supposito iudicio certo quod illud bonum futurum sit: neque possumus vllum huiusmodi bonum desiderare quod non speremus. Spes respicit bonum quod desideramus tanquam obiectum primarium & directum, illum autem à quo speramus tanquam obiectum indirectum, imò potius tanquam circumstantiam quandam obiecti quod speratur ut postea constabit, non itaque dico quodlibet desiderium esse spem, aliqua enim sunt desideria inefficacia, & sæpe non feruntur in bonum arduum & futurum: sed nulla est Spes quæ non sit desiderium. Habitus Spei ut constabit non destruitur per solam desperationem, sed per quemlibet actum repugnantem amoris concupiscentiæ cuiusmodi esset odium, & nolitio beatitudinis. Desperatio semper est nolitio aliqua & fuga boni de quo desperatur, non illius in se sumpti, sed illius propter arduum vel non futurum, ut dicitur *quest. 3.*

Solutio
secundæ. Ad secundam Respondeo non differre essentialiter inter se obiectum amoris, & obiectum Spei, sed accidentaliter solum differre ratione alicuius circumstantiæ adiunctæ propter quam idem obiectum quod amatur ut bonum est, speratur ut arduum est, desideratur ut absens est: non quod arduitas & absentia sit ratio sperandi & desiderandi, sed tantum circumstantia & conditio sine qua non desideraretur nec speraretur. Itaque distinguo hanc propositionem, obiectum amoris non est bonum arduum, reduplicatiue ut arduum est, concedo: Specificatiue nego, nam verè amatur bonum illud quod arduum est, quamvis amor ut amor præscindat ab arduitate, sicut præscindit ab absentia, quoties appeto beatitudinem proximi quatenus bonum eius est, vel in Dei gloriam, spes est propria Charitatis Theologicæ propria, si autem appeto eius beatitudinem, quatenus est persona mihi coniuncta